

vobis instillari patiamur, aut quovis modo eidem nos opponamus.

100. Ea enim Diaboli est astutia & μυριο-  
τεχνία, ut vel levissimâ sibi concessâ occasione,  
ex inferioribus peccatorum gradibus paulatim  
magis magisq̃, donec tandem ad summum pec-  
cati in Spiritum sanctum gradum perveniatur,  
homines securos incitet & alliciat.

101. Sed ardentibus votis sine intermissione,  
bono D E I Spiritu regi petamus, cuius imbuti  
adjutiq̃ gratiâ, vero amore & indefesso studio ve-  
ritatis, initium substantia ad finem usque firmum  
teneamus. Heb. 3, 14.

102. Convicti etiam de veritate, libenter ei  
palmam tribuamus, neque turpe nobis duca-  
mus, digito ori imposito, & coram D E O &  
Ecclesia errorem liberè agnoscere, confiteri, dete-  
stari, ut nihil quicquam adversus veritatem, sed  
pro veritate omnia suscepisse videri queamus. Ec-  
clesiastici 4, 30. 2. Cor. 13, 8.

103. Alter verò finis ἐλεγκτικός, Sacra-  
mentarios respicit, qui, ut absolutum suum & Stoi-  
cum dogma, de Prædestinatione fatali, sine ullo  
respectu prævisæ à D E O vel fidei vel infidelitatis  
facta, stabilirent, in eam descenderunt hyperbo-  
len, ut eos, qui semel sunt regenerati, Spiritus  
Sancti gratiam nunquam amplius amittere pos-  
se, contenderent.